

Q.K.
517,20.

II n
9584



ORATIUNCULA
In funere
MARGARETHÆ
HOSTÆ, MATRONÆ
honestissimæ & ornatis-
simæ


X 1903468

Excellentissimi & Clarissimi
VIRI

D. N. MATTHÆI
ZEYSII ARTIS MEDI-
cæ Doctoris & Professoris quondam
in Academiâ Francofurtanâ



Relictæ viduæ
Habita ex more antea
A



M. CHRISTOPHORO NE-
ANDRO moralis philosophiæ
Professore P.

a. d. viii KL. Maii, A. C. clo lo cxii.





Ieronymus in epitaphio Paullæ, matronæ nobilis Romanæ, testis est, Magnifice Dn. Prorektor, viri omni laude cumulatissimi, iuvenes nobilissimi & ornatissimi, Christianos initio nascentis ecclesiæ in funere & exsequiis suorum canere solitos fuisse Alleluia: quam vocem constat esse non plangentium & lamentantium, sed gaudentium & gratulantium. Et multò ante historie pater Herodotus memoriæ prodidit, Thracũ finitimos Traufos, more institutoque maiorum, natalem cuiusque diem fletu & lamentationibus; fatalem risu & gratulationibus excepisse. Considerarũt nimirum utrique cum animis suis, qui in vitam hanc ingrediantur, eos in lubrico versari, & in laborum ac dolorum ergastulum præcipitari: qui verò inde migrent, eos malis subtrahi omnibus, & à periculis in securitatem, à labore in quietem, à dolore in voluptatem, ab ignominia in gloriam, à carcere in libertatem, ab exilio in patriam, ab alto in portum, ab orco in cælum transferri. Quid enim vita in his terris nostra aliud est, quam vallis confusionis, carcer afflictionis, perpetua & ab exsilio non differens peregrinatio, periculosa navigatio, mala mansio? quid contra mors, nisi, ut Hugo ait, acceleratio glorificationis, disruptio carceris, finis peregrinationis, portus navigationis: & ut sapienter olim Brachmanes & Gy-
mno-

mnosophistæ statuerunt, æternæ vitæ natalis? Quocir-
ca filii, propinqui & adfines clarissimi & ornatissimi, ne-
ptes item & propinque honestissime in præsentî fune-
re non tam plangent, quam plaudent: matriq; & ma-
trone huic sanctissimæ gratulationes potius de beatâ
migratione, & felici mutatione, quam flebiles lēssos
facient. Si quis enim unquam mortalium cum regio
Propheta, quo θεοφιλέστερον seu Deo amiciorem homi-
nem Sol in his terris nullum illuxit alium; *Margare-
tha* certè *Hosta*, fœmina omnium muliebrum virtu-
tum ornamentis conspicua, exclamare potuit: *Defecit
in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus*. Enimverò ab
anno Christi millesimo quingentesimo quadragesi-
mo nono, quo inter homines esse cæpit, usq; ad diem
ab hinc quartum, quo inter homines esse desijt, mul-
tis oppressa fuit ærumnis, & cum ingentibus conflictata
est doloribus. Splendere sanè & suaviter ipsi blandiri
vita est fortuna, quando ex duabus in Marchiâ præci-
pui, & longâ majorum serie celebribus familijs
Harckstrovianâ & *Blancfeldianâ* eam nasci contigit:
patre quidem *Matthæo Hosto*, viro clarissimo, Græca-
rum quōdam literarum in hac Academiâ Professore
celeberrimo, scriptisq; eruditis toti orbi notissimo;
matre vero *Clarâ Harckstrovianâ*, Amplissimi Beroli-
nensiū Consulis filiâ. Blandis eandē oculis, utinam ve-
rò irretortis, adspicere visa est fortuna, quando ob e-
gregias animi & corporis dotes anno ætatis octavo &
decimo, Christi cl. l. Lxvii. in matrimonium experi-
ta est à Clarissimo & experientissimo viro, Dn. Docto-
re *Gallo Wernero* Francofurtano: quî Colbergæ primū,
post Stargardiæ in Pomeraniâ summâ suâ cum laude,
& ægrotantium bono medicinâ fecit, & Physici mu-

A 2

nus



nus in utraq; repub. præclare obijt. Sed nequaquam
bona est hæc impotens rerum humanarum domina,
etiã cū bona est: hîc certè, cum max: splêdere videre-
tur, vitri instar frangi cœpit. Non enim modò duo fi-
lioli de quinq; illis, quorū patrem maritum fecerat,
cum paullò diutius, quam ephemera apud Hypanim
Scythiæ fluvium animalia vixissent, ab uberibus ma-
tronæ nostræ acerbâ morte rapti: sed & maritus opta-
tissimus, cui in conjugio tranquillo & jucundo fidē &
operas uxorias abundè probârat, decimo quinto post
nuptias anno, à latere & complexu ejus avulsus: ipsaq;
vidua, in loco peregrino, cum parvulis tribus liberis
relicta est. Quantum hic putatis, Auditores, dolorem
matronæ iniustum? quot gemitus, quot lachrymas cre-
ditis eam effudisse? cum intelligeret non modo pre-
tiosissimo in hac vitâ thesauro & præsidio firmissimo
se se orbatam; sed etiam futuræ vitæ molestias, & diffi-
cultatem in educatione liberorum animo prospice-
ret. Et quanquã respirare ipsa, & fortuna, quæ jam sa-
tis tonuerat, micare iterum visa est, cum post devo-
ratas supra annum viduitatis molestias ambita & ex-
ambita fuit à CL. viro, *Dn. Mattheo Zeyso*, Philosophiæ
tum temporis Magistro, medicæq; artis cultore; post
Doctore Medico & Professore peritissimo; tamen ne
novæ quidem nuptiæ doloribus & gemitibus pausam
omninò fecerunt. Quis enim aut usu non didicit, aut
auditu nō percepit, primum amorem, ut vulgò dici-
tur, longo intervallo post sese relinquere alterum?
quis ignorat viduam, præsertim quæ commodo cum
marito prius nupta fuit, non sine metu in alterius vi-
ri, cujus nec mores omnino, nec fortunam exploratã
habet, sese tradere potestatem; nec sese tantum, sed
& li-

&liberos ex priore marito susceptos: quos tamen si vi-
trici non perinde odisse dicuntur, atq; noverca pri-
vignos: tamen nec ipsi admodum bene audiunt: sæpe-
que mulier secundis nuptijs, ut Justinus ait, novi ma-
trimonij gratiam acquirit, veteris offensam contra-
hit: sæpè etiam non nutricium, sed hostem, non pa-
rentem, sed tyrannum liberis superinducit. Clarissi-
mus piæ memoriæ Zeysius, cui ante quinque annos eo-
dem hoc loco me parentare memini, privignis suis
agrè non fecit ille quidem: sumtus tamen ad studia
supra patrimonij ipsorum vires suppeditare nec stri-
cto jure debuit, nec, quia pater non erat, voluit. Qui
si subministrati, fuissent, proculdubio parentis avi-
que materni vestigia liberi persecuti, & per eandem
literarum viam ad veram gloriam fuisset grassati: ijs
autem non suppetentibus, à literarum ingenuarum
spacijs ad sordidam officinam ferè omnes abducti
sunt: comprecante autem pro illis Deum immorta-
lem matre amantissimâ, boni & honesti viri omnes
evaserunt. *Paullus* enim *Wernerus* natu maximus, qui
atratus matri funus duxit, eidemque jam senio confi-
ctæ & morbis fractæ in longâ & diuturnâ ægrotatione
ὄντι θρεπτήρια seu nutritionis præmiâ gratissimo a-
nimo persolvit, & cum dispendio rei suæ familiaris,
diligentissimam ejus curam aliquot retro septima-
nis egit, ideòq; beatam & longam in his terris vitam
promittere sibi potest, Jutreboci civis est honoratus,
& faber stannarius: alter *Jonas*, VValderslebi prope
Mageburgum, dum vixit, pistor fuit: *natu minimus*
Michael Wernerus, & vir integerrimus, & pharmaco-
pæus peritissimus, & civis in imperiali urbe VVor-
maciâ est honestissimus. Sed ad defunctam matronâ

revertor, cui in secundo conjugio, ad quod transiisse
ipsam dixi, non ijdem semper, & quidem secundi, fla-
verunt venti. Tres namque filios, quos D. Zeylio pe-
pererat, acerbo funere mersos extulit: quod an sine
dolore & gemitibus facere potuerit, estimabunt ij,
qui eandem fortunam experti sunt: quique sciunt,
nullam esse fertiliorem litium inter foeminam & al-
terum maritum segetem: quam si hic videat liberos
suos marcere & contabescere; prioris autem viri be-
ne valere & florere: quos nisi oderit mater, eorum
adhuc videbitur amare patrem. Non hic decumanos
curarum & arumnarum fluctus, non novercantis
fortune flatus omnes commemorabo, ne videar pa-
tientiã vestrã abuti: illud inter omnes constat, non
potuisse honestissimam hanc matronam non & ve-
hementer dolere & acerbè ingemiscere, posteaquam
maritum anno ab hinc quinto apoplexiã ictum, col-
lapsum & extinctum vidit: à quo tempore ad vidui
status angustias iterum redacta est, exhaustura nimi-
rum, quicquid in fundo amari calicis sibi divinitus
propinati superesset. Nam cum omnis omninò vi-
dua in miserabilium personarum lustro censetur,
etiamsi bonis omnibus circumfluat, & regno quoq;
præsideat: tum hæc potissimum, de quã loquimur:
quæ à multis delusa, à nō paucis pecuniã emuncta, ab
ijs etjã, qui tueri & solari debebant, afflictã, & quod
maximū, à morbo gravissimo fuit vexata. Qui namq;
dies CL. Doctori Zeylio ex apoplexiã vitæ finem; i-
dem uxori vel viduæ potius ejus ex nimiã consterna-
tione morbi adtulit initium: qui postea in dies vires
acquirens, & in subsidium hecticam, spasmus, ar-
thri-

thritidem, tandem etiã veram phthisin advocans decem & quatuor hebdomadas ipsam miris & miseris modis torfit, & exquisitissimis cruciatibus raptavit, lancinavit, laniavit: ut verè *deficeret in dolore vita ejus, & anni ejus in gemitibus.* Neque tamen ipsa, quantumvis in acie, quod ajunt, novacula constituta, & multa nunc à morbis, nunc à medicis, nunc à chirurgis perpeffa, aut amori divino erga sese diffidebat, aut fracti & impatientis animi signum ullum foras dabat. Noverat quippe oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei: noverat, & verbis præ se ferebat, ministram se esse Domini, discipulam Christi: quem sciebat prius vinculis constrictum, fannis lufum, plagis & verberibus contusum, vulneribus dissectum, contumelijs adfectum, virgis consciffum, alapis percuffum, spinis compunctum, in crucem actum, in cruce distentum ac terebratum esse, quam possessionem gloriæ suæ iniret. Noverat, neminem penè fuisse sanctorum, qui procellosum hujus temporis agonem absque tribulationis tempestate transijffet: & quotquot ab orbe condito ad nostram usq; ætatem Deo placuissent, crucis patibulum in mortali suo corpore portasse. Noverat denique piorum afflictiones morte finiri, improborum supplicia post mortem incipere: & post tenebras lucem sperabat, post laborem quietem, post dolorem voluptatem. Neque eam spes fefellit. nudius enim quartus, cum jam annum ætatis ageret sexagesimum tertium, ex utroque scansili septenario & novenario fatalem, in placidissimum quasi

OK
Tm
95 84

somnum soluta diem suum obijt: & à labore ad quie-
tem, à dolore ad voluptatem transijt. De quo transitu
tam beato, Magnifice Dn. Pro-rector, Viri & juvenes
prestantissimi, ornatissimi, defunctæ matronæ, ut ini-
tio dixi, meritò gratulamur; ipsi verò filij cum pro-
pinquis & adfinibus clarissimis de vestrà, quam in
exsequijs hisce abundè declarastis benevolentia,
magnoperè sibi gratulantur: & gratias vobis, non
quas debent, sed quas possunt, maximas agunt: spon-
dentque futurum, ut prius ipsi à sese excidant, quam
sibi ex animo vestrî effluat memoria: quos tam pro-
clives fuisse vident ad funus prosequendum, tam
promptos ad honorandum, tam pronos ad amandum.

DIXI.

kont MC

Q.K.
517,20.



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Π n
9584

LA
HÆ
ONÆ
tis-
903468
fimi
HÆ I
MEDI-
quondam
rtana
BIBLIOTHECA
ONICAV
O NE-
sophia
lo lo cxii.

